

manibus, quod utiqve Ecclesiâ ordinante nihil prohiberet, exponerentur.

*VI.* Qui S. cœnam nunquam sine administrantis communionem celebrari debere contendunt, finem secundarium, qui in signandâ civium Ecclesiæ communionem consistit, laudant, primum, qui est gratiæ Divinæ obsecratio, prætereunt.

*VII.* In symbolorum Eucharisticorum separatâ consecratione non repræsentatur ex instituto Christi mors ejusdem.

*VIII.* Sacrificium est Eucharistia, quia comeditur in eâ & bibitur id, quod aliquando verum fuit sacrificium.

*IX.* Non alia fit in cœnâ symbolorum transmutatio, quam ut, dicente in Ep. ad Cæsarium Chryostomo, *panis naturâ integrâ manente, per consecrationis sacerdotalis gratiam panis corporis Domini appellacione dignus efficiatur.*

*X.* Ut ob concomitantiam naturalem, quâ posito Patre ponuntur omnes personæ Divinæ, in nomine unius & solius Patris baptizare non licet: ita nec ob eandem concomitantiam in cœnâ cum pane solum distribuere corpus.

*XI.* Materia S. Eucharistiæ solum est corpus, solusque sanguis Christi, quâ tamen mediante & Christum ipsum & Spiritum S. & totam SS. Trinitatem fide simul accipimus, nobisque unimus. I. Cor. XII. 13.

*XII.* *Reformati veram cœnam integrè administrant in suâ Ecclesiâ, qualiscunq; tandem eorum doctrina sit, quam de hoc sacratissimo anime epulo adversus claram literam institutionis in Ecclesiis suis fovent, disseminant, inculant. Positis enim Sacramenti alicujus partibus essentialibus, in actu ritus à DEO præcepti legitimo, ponitur in Ecclesiâ, cui soli Sacramenta propria sunt, ipsum verum & integrum Sacramentum. Tob. Wagnerus. Dannhawerus.*

---

Disp. XXXIX

De

Testamentis.

I. Testa-